

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis
conceptibus moralibus illustratum**

Venegas, Luis

Friburgi Brisgoiae, 1624

Sermo primus

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)



INFESTIVITATE SACRATISSIMI ROSARII BEATISSIMÆ Mariæ Virginis.

Sermo Primus.

Pro salutatione Angelica.



nter pretiosos lapides, quib⁹ ciuitas Dei nitebatur, annumeratur chrysolithus, qui etiã pectorale summi Sacerdotis exornabat, tribus coloribus, diuersis viridi, igneo ac aureo splendebat. Et sanctus Hieronymus & Abulensis referunt, hanc mirabilem proprietatem illi fuisse à natura inditam, vt homines, aliàs pusillanimes, si chrysolithū gestarent, in animosos & fortissimos duces commutaret. *Chrysolithus*, inquit Hieronymus, *præbet fortitudinem, & aufert pusillanimitatem.* Aureus etiam color, quo lapis iste splendidissimè micabat, ita præstans erat, vt suo fulgore & præstantia purius & splendidius totius viuuerſi aurum superaret, pro-

pterquam causam lapis triumphalis appellatus fuit, id est, triumphus & victoriæ lapis: Romani enim cum parta victoria devictis hostibus, triumphali pompâ redirent, in signum victoriæ & triumphus, vestibus auro fulgenti contextis utebantur. In hoc pretioso lapide mysteria Rosarii Beatiss. Virginis, & illius effectus erga sodales huius sanctissimæ confraternitatis, quam sanctissimus Pater noster Dominicus instituit, ac à temporibus venerabilis Bedæ penitus collapsam restaurauit, ad viuum exprimuntur. In viridi colore, quo chrysolith⁹ notabatur, gaudiosa mysteria infantie Christi nostri Saluatoris, quibus certissima nostræ salutis spes insinuata fuit, representantur: In igneo & accenso colore, dolorosa mysteria, in quibus noster Redemptor suæ

M m 3

im,

immensæ charitatis ignem demonstravit, apertè ostenduntur: in auro verò gloriola mysteria, quibus Christus & Beatissima Virgo triumpharunt, manifestius demonstrantur. Chrysolithus, lapis fundamentalis erat, cui ciuitas Dei nitebatur, & etiam summi sacerdotis pectori adharebat, quo illius pectorale illustrabatur: Sed cuiusnam, quæso, firmiori fundamento ciuitas Dei, quæ est Ecclesia Catholica, nititur, quàm Mariæ sanctiss. sacratissimo Rosario? Huius viribus & robore hæreses destructæ, peccatores conuersi, hostes nostræ fidei fugati ac demolitii fuere. Est etiam Rosarium sacratissimum lapis pectoralis, quia nihil est, quod pectoribus fidelium firmius adhareat, quàm hæc sanctissima deuotio & confiderentia, quam Imperatores, Reges potentissimi, Pontifices summi, & Ecclesiæ præsides ex toto animo amplectuntur, atque pro summo ducunt honore in eam coaptari. Tandem Rosarium sanctissimum lapis triumphalis est, *dans fortitudinem, & auferens pusillanimitatem*, vt inquit Hieronymus; cum hac die ad Naupactum Achaici sinus de Turcarum classe virib. & numero longè maiore, à Christianis principibus nauali bello, maxima post hominum memoriam, victoria medio sacratissimo Rosario Beatiss. Dei genetricis Mariæ parta sit, vt

Gregorius tertius decimus litteris Apostolicis apertè testatus est. De lapide isto triumphali in præsentia solemnitate agendum nobis est. si prius adsit gratia Spiritus Diuini, quàm vt efficacius impetremus, Beatissimam Virginem consuetâ oratione Angelicâ salutemus, dicendo Ave Maria,

*Liber generationis Iesu
Christi Filii David, &c
Matthæi 1. cap.*

IN sacris litteris refertur, quòd cū quadam die Rex Assuerus in solio suæ maiestatis & magnitudinis sederet, Regina Esther regis vestibibus induta, in atrio regis domus stetit, quæ ita Regis oculis placuit, quòd statim his verbis dimidiam sui regni partem ei obtulerit. *Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi.* Esther. cap. 5. Gersonius Parisiensis Doctor & vir pius, tractatu 4. super Matthæum, agens de assumptione Beatiss. virginis, ait. Non sine mysterio Assuerum suis promissis non stetit, nequè enim legitur in sacris litteris, eum cū Regina Esther regnū partitū fuisse, fuit tamen, inquit Gersonius, certissimū prognosticū eorū, quæ verus Assuerus, sumus præpotensq; Dominus cum vera Esther acturus erat, quæ cū in die assum-

functionis ad celestis Regis aulam & atrium peruenisset, ita diuinis oculis grata fuit, quod in signū amoris & benevolentia, cum ea, in ipsa coronatione, dimidiam sui regni partem diuiserit, cum eam in supremā hominum & Angelorum reginam, regio applausu & acclamatione euexit. Omnipotentis Dei regnum ex duobus coalescit, ex potentia scilicet & misericordia, vt insinuauit Propheta Dauid, psalmo. 67. *Duo hac audini, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Quid ergo Deus præstitit, quādo Mariam Sanctissimā in celorum reginam exaltauit? sibi omnipotentiam reservauit, & aliam sui regni partem, misericordiam scilicet, Reginae Angelorum quodammodo concessit, vt in cælo & in terra misericordiae mater haberetur. Et quemadmodum in celebri illo tabernaculo Moysis, Exodi 26. cap. decreuit *Deus*, vt super arcam testamenti, propitiatorium erigeretur, vbi misericordia Dei & remissio peccatorum deposita erat: Ita etiā statuit, vt in cælo, quod illud tabernaculum repræsentabat, super veram testamenti arcam, Mariam nempe sanctissimam, verum diuinæ misericordiae propitiatoriū constitueretur. In hoc diuinum propitiatorium mentis oculos attentē defixerat eloquentissimus Græcus Andreas Cretensis, quādo in oratiōe de Assumptione Deiparæ sic estatus

est. *Ex quod terra translata es, versus mundus te continet commune propitiatorium.* Et deuotissim⁹ Bernardus Sermone .4. Assumptionis, hoc regnum & misericordiae reginam conspiciens, sic ait. *Quis misericordia tua, o Beata Virgo, longitudinē, latitudinem, sublimitatem, & profundum valeat investigare?* Et postea subdit. *Longitudo eius vsque in diem novissimum, invocantibus eam, subuenit vniuersis, latitudo eius replet orbem terrarum, vt suā quoque misericordiam plena sit omnis terra, sublimitas eius, superna ciuitatis inuenit restorationem.* Id est, ita sublimis est Beatissima Virginis misericordia, vt ad Planetas, & supernā ciuitatem, imō vsque ad sedilia, quæ ex Angelorum ruina vacua relicta fuere, pertingat, vt homines eorum locum, & honorificas sedes occupent. Addit Bernardus ad maiorem misericordiae ponderationem. *Profundum eius, sedentibus in regione & in vmbra mortis, obtinuit redemptionem;* Quibus verbis insinuat Bernardus profunditatem misericordiae huius Reginae in clytæ tantam esse, quod etiam ad intimas cavernas, & tenebrosa loca, quib. antiqui patres tenebantur occlusi, penetrauit, & modò purgatoriū penetrat, vt animæ ibi cōmorantes citō, ex locis illis supplicii & mæroris, ad cælestia gaudia transferantur. Ex omnibus ergo beneficiis, quæ Beatissima virgo intra suæ

mise.

miseriçordiæ capacissimum regnum hominibus liberalissimè contulit, inter præcipua hodiernum beneficium computandum est, quodd scilicet propriâ manu Ecclesiæ Catholicæ sacratissimû Rosarium, & spiritualem illius confraternitatem, per patres Prædicatores promotam, & per totum vniuersum propagatam, contulerit. Huius sanctissimi Rosarii & confraternitatis festum, omnibus lætitiæ ac iucunditatis signis celebrat hodiè nostra mater Ecclesia, & ad propositum tantę celebritatis proponit præsens Matthæi Evangelium, quod licet in cortice inspectû, extra propositum videatur, at si ad nucleum & spiritum attendamus, præsentis sacratissimi Rosarii festiuitati congruentissimum est. *Liber Generationis Iesu Christi &c.* Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia. 2. in Matthæum, Maldonatus, Barradas, & alii iuniores interpretes sacre scripturæ, sic titulum huius Evangelii interpretantur. *Liber Generationis Iesu Christi*, Id est, *Liber vita Christi*. Quæ explicatio devotioni sacratissimi Rosarii congruentissima est, Nam Rosarium Beatissimę Virginis nihil aliud est, quàm liber quidam vitæ Iesu Christi nostri Redemptoris, hac tamen differentiâ, quia in libro Matthæi scripta quidem est vita Christi, litteris tamen emortuis: At in hoc sacratiss. Rosarii libro non emortuis chara-

cteribus, sed viuis considerationibus exarata est; ibi in charta aut pergamento, hic verò in cordibus & animabus nostris descripta est, ibi ad longum, hic stylo & methodo breui ad quindecim mysteria redacta est, si ab Incarnatione & mysteriis, quæ ad infantiam nostri Saluatoris spectant, exordiamur, & postea per illius vitam & mortem, resurrectionem, ad cælos ascensionem, vsque ad Sancti Spiritus aduentû, assumptionem & coronationem Beatissimæ Virginis, sanctis considerationibus progrediamur. Ad considerationem horum mysteriorum, quæ superna ac planè diuina sunt, nostra sancta confraternitas dicata & consecrata est; itaque finis & scopus huius sanctissimæ sodalitatæ, quæ patrimonium est illustrissimæ familię Patriarchæ nostri sanctiss. patris Dominici, consideratio & profunda horum mysteriorû nostræ redemptionis contemplatio est. In libro Numerorum cap. 19. præcipiebat Deus, vt sibi in sacrificium vacca quædam certis & peculiaribus conditionibus notata offerretur. *Præcipe filiis Israel, vt adducant ad te vaccam rufam, siue rubeam, vt in originali hebreo legitur, etatis integra, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum: Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductâ extra castra immolabit in conspectu omnium &c.* Et pauld inferiùs mysteriosè additur, *Colliget autem vir-*

mundus cineres vacca, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, &c. Sanctus Augustinus quaestione .33. & Sanctus Theodoretus quaest. 36. super hunc librum asserunt, hoc sacrificium, nostri Redemptoris figuram & viam representatione extitisse; Integra enim aetas, quae petebatur in vacca, perfecta Christi aetatem representabat, cum ad triginta & tres annos peruenerit; color rubeus illius charitatem indicabat, summam etiam puritatem Christus enituit, nec iugum alicuius culpa portavit, aut deferre potuit. Tradetis quae eam Eleazaro sacerdoti, qui educta extra castra immolabit in conspectu omnium. Hoc etiam in Christo impletum fuit, cum extra Ierusalem in conspectu omnium, qui ad pasche celebrationem conuenorant, passus fuerit, Extra portam passus est. Verum, quisnam erit vir ille mundus, qui vacca cineres collecturus erat? Colliget autem vir mundus cineres vacca. Sanctus Augustinus ait, cineres istos memoria & famam mysteriorum nostrae redemptionis, longe lateque per totam Ecclesiam diffusam representare, per virum autem mundum non in cogruum intelligere possumus nostrae sanctissimae confraternitatis sodales. Ad cuius probationem animaduertendum est, quod in Lewitico cap. 11. illud censetur animal mundum, quod ruminat, &

quid ruminare in mystico sensu demonstrat? non aliud quam conderate & contemplari. Modo ergo, Charissimi auditores, nostram intentionem & mentem aperte comprobata assequimini: Sodalis enim nostrae confraternitatis sanctissimi Rosarii, qui pro fine & scopo mysteriorum nostrae redemptionis contemplationem tenet, iste censendus est vir mundus, qui nostri Salvatoris altissima mysteria colligit, & intellectui attentam & profundam considerationem contemplanda proponit. Colliget autem vir mundus cineres vacca, Sanctus Patriarcha Iacob mysteriosam scalam intuitus est, quae a terra usque ad caelum pertingebat, Angelos etiam aspexit, qui per scalam ad caelum usque ascendebant, & a caelo usque ad terram descendebant. Haec scala licet multa alia representet, nostrum tamen sacratissimum Rosarium ad viuum exprimit, quod plane caelum atque terram contingit; caelum diuinitatis, & terram humanitatis nostri Redemptoris Iesu Christi; Angeli vero ascendentes, nostrae sanctissimae confraternitatis sodales sunt, qui sanctis considerationibus ex humanitate Christi, usque ad illius diuinitatem conscendunt, & ex supremo fastigio Diuinitatis denud ad humanitatem usque descendunt, Angeli quidem sunt, quia vitae puritate & munditia ceteris praelucere debent. Origenes homilia. 7.

N u

in Le-

282 *Sermo Primus de Sacratissimo Rosario*

in Leuiticum accuratè perpendit, id quod Deus filiis Israël præcipiebat, capite 11. scilicet vt pisces, qui pinnulis siue alis carent, execrabiles essent, nec ex eis degustarent, concedebat tamen, vt piscibus, qui pinnulas & squamas habent, vesci possent. *Hæc etiam sunt que gignuntur in aquis & vesci licitum est.* Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari, quam in fluminibus & stagnis comeditis. Quidquid autè pinnulas & squamas non habet, eorum que in aquis moventur & viuunt, abominabile vobis execrandumquè erit. Tractans ergo prædictus Origines de piscibus, qui squamis & alulis siue pinnulis carent, sic de illis loquitur. *In imis semper & circa cœnum morantur.* Id est, intra limum & profundum aquarum habitât, at pisces, qui squamas & pinnulas habent, inquit Origines, *est fluctibus exiliunt*; aquarum enim & propriæ quasi obliti nature, ex aqua saltant, & tanquam aues super aëra volitant. In hac piscium varietate duplex hominum genus demonstrat Origines, aliqui inter mortales inveniuntur, qui in cœno & depressiorib. terræ locis morantur, nihil minùs quàm de cœlo cogitât, solum in terrenis acturpitudinis limo & cœno morâtur. Alii verò sunt, qui licet in hoc mundo habitent, in cœlistam tamen conuersatione & diuinorum mysteriorum contemplatione commorantur, & tales sunt no-

stri Sanctissimi Rosarii confratres, qui ex propria sodalitatis obligatione, ex huius sæculi fluctibus exiliunt, & supernis Rosarii considerationibus ad superna aspirant, & super astra volitant. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Philip. 3. Propheta Dauid Rex inclytus, Spiritu diuino afflatus, centum & quinquaginta psalmos in Dei gloriam & laudem composuit, Sanctus Augustinus & Diuus Hieronymus quindecim illorum, quos *canticum graduum* vocant, summoperè extollunt, & ex eis secretissima mysteria in lucem eruerunt: Doctor Incognitus ad nostrum propositum hæc duo notatu dignissima profert; In primis affirmat, hos quindecim psalmos vocari *canticum graduum*, quia in ascensu quindecim graduum templi Salomonis decantabantur; Secundò dicit, quòd cum Sacerdotes psalmos concinentes gradus conscendebant, non continuo ascensu pergebant, sed prioribus quinque gradibus, quinque psalmos decantabant, & parum quiescebant, deinde alios quinque gradus conscendebant & iterum sistebant. Tandem tertio alios concinentes, cæteros gradus conficiebant, ac superius parum per detinebantur. Nostrò iudicio nihil ad propositum hodiernæ festiuitatis Rosarii sacratissimi, accommodatiùs adduci posset; Rosarium enim ex centum & quinquaginta orationibus coalescit, & qui illud

Illud deuotè recitat, quindecim my-
 steriorù consideratione ad superiora
 & diuina conscendit, ter tamen in
 mysteriorù consideratione ac contè-
 platione quiescere debet: primò in
 quinque mysteriis gloriosis, secundò
 in quinque dolorosis, tertid in qui-
 que gloriosis, vt sic attentà ac pro-
 fundà tantorum sacramentorù me-
 ditatione, ad verum Salomonis tem-
 plum conscendamus. Dicent forsità
 qui Rosarium Beatiss. Virginis reci-
 tant, nò tamen mysteria diuina, quę
 in illo latent, contemplantur, nequę
 in nostra sanctissima confraternita-
 te inscripti sunt, quem fructum so-
 dales percipiunt, qui cõsiderationi-
 bus diuinis Rosariù persoluunt? Di-
 cam apertè, nostri enim confratres
 arboris vitę fructibus peculiari gra-
 tiã, & singularib⁹ prerogatiuis poti-
 untur. Nonnè singulis mensibus
 omni pompã & apparatus in toto or-
 be terrarum hæc sancta confrater-
 nitas, suis filiis & filiab⁹ cõsitata, intra
 templa & prædicatorum monasteria
 splendidissimè progreditur? Non-
 nè ibi accensis luminibus Beatissi-
 mę virginis imaginem singulari pi-
 etate & deuotione deferunt? quid
 hæc indicant? Fructus planè abun-
 dantissimos demonstrant, quibus
 nostri sodales ditãtur, quos in men-
 struali processione ex arbore vitę
 capescunt. Evangelista Ioannes A-
 pocalypsis 22. pulcherrimam ar-
 borem conspexit, quam vitę arbo-

rem appellat, quę ita fertilis erat,
 vt singulis mensibus suauissimũ
 fructum ferret, Sancti Patres in ex-
 plicatione huius loci, per hanc fe-
 cundissimam arborem, Christum
 Redemptorem nostrum intelligūt,
 per fructus verò illius sacratissima
 merita interpretantur. Singulis er-
 gò mensibus, Charissimi Filii, sã-
 mus Pontifex meritorum Christi
 immensum thesaurum sacratissimi
 Rosarii sodalibus aperit, ac illis im-
 mensas gratias, indulgentias, & om-
 nium peccatorum remissionem li-
 beralissimè concedit; ad capiendos
 igitur tam vberes ac præstantes ar-
 boris vitę fructus, nostra confrater-
 nitas tot sodalib. stipata progreditur.
 Nec solũ ista experiuntur, qui tantę
 deuotioni addicti sunt, sed singula-
 rissimos favores ac præclarissima be-
 neficia à Regina Angelorum perci-
 piunt, licet enim ipsius regnum, vt-
 potè imensum & amplissimum, ad
 omnes fideles se extendat, peculi-
 aribus tamen privilegiis nostrę san-
 ctiss. cõfraternitatis filios ac sode-
 les prosequitur. Testes huius verita-
 tis sint libri, qui variis linguis de sa-
 cratiss. Rosario inscripti sunt, vbi
 fermè infinita miracula referuntur,
 quę in favorè sodalium; acciderūt,
 vnum ad vestrã ædificationè rarum
 plã ac peregrinũ referam, quod ha-
 betur in speculo exëplorum exem-
 plo. 64. & ex annalib. patrũ præmon-
 stratenũ pag. 31. depromptum est.

N n 2

In

In certo monasterio cuiusdam ciuitatis habitabat quædam sanctimonialis, nomine soror Beatrix, corpore & animâ Angelus, quia simul cū eximia corporis pulchritudine, quâ dotata erat, deuotione etiam erga Beatissimam Virginem & illius Rosariū inter cæteras virgines eminebat, cuius imaginem singulari curâ & deuotione vestiebat, & altare exornabat; speculum citatum exemplorum eam cultricem domus vocat, quæ regularis ianux clauis gestabat. Hac ergo occasione claudendi sapius & aperiendi ianuam, occasiones enim animæ mortem inferre solent, quidam secularis eam aspexit, & illius amore captus, sollicitas permouit, de monasterio etiam ita eam tentauit, vt à viro & dæmone persuasa, apud se decreuerit habitū relinquere & noctu effugere. Sed antequam tantum facinus committeret, ad altare, vbi imago sacratissimi Rosarii constituta erat, accessit, ibique post apertam ianuam, monasterii clauis reliquit, ac Beatissimam virginem sic affata est. Sanctis. Maria, hinc tibi clauis monasterii relinquo, ego turpi quadam tentatione deuicta discedo. Non post multos dies, qui eam ex monasterio eduxerat, solā, vt crebro contingere solet, reliquit & à se repulit, quæ cū se iam solā, sine vilo remedio & solatio conspiceret, meretricio more proprium corpus turpitudini prostituit, & per

quindecim annos continuos sic turpiter vixit. His elapsis annis quadam die, Deo misericordiarum Patre sic disponente, ad ciuitatem, vbi suum monasterium extractum erat, reuersa est, ac illud, vtpotè vbi habitum religiosum acceperat, visitare volens, ingressa est, & in monasterii famulum incidens, ab eo de aliquibus sacris monialibus sciscitari cepit, & inter eas pro se petiit; quæ sine mora statim respondit. Ita soror Beatrix, de qua modò à me postulas, ianatrix est monasterii, & est grauissima & sanctissima monialis; Quòd cū primū ipsa audiuit, existimauit famulum somnia & commenta referre, & cū monasterium egredi vellet, in ipsa porta ei Beatissima Virgo in forma, quæ cognosci posset, apparuit, eamque detinens, sic alloquuta est. Quòd misera & pericula soror iterum reuerteris? ego sum Dei Mater cui, cū ex monasterio recederes, clauis reliquisti, per quindecim annos tuam personam & officium ago, reuertere iterum ad monasterium, & idem munus & officium præsta, ac si nunquam recessisses, habitum & clauis accipe, quia nullus tuam absentiam notauit. Monialis diu extra se præ admiratione mansit, ad se tamen reuersa, singulis diebus tantum beneficium perpendens, auxilio Beatissimæ virginis maximam suorum peccatorum contritionem obtinuit, ac
san-

sanctissime vixit, & quando ex hoc seculo feliciter migravit, suo confessorio dixit, vt tantum beneficium pro gloria Dei & eius sanctiss. Matris evulgaret. Isti sunt vberissimi fructus, quos nostri sacratissimi Rosarii sodales ex hac arbore vite percipiunt. Verum iam tempus & ratio postulat, vt aliquid circa Evangelij litteram proferamus. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Sanctus Evangelista Matthæus Christi Redemptoris generationem referens, vtitur hac voce *Genuit*, & sæpius repetit, quod verbum introitum nostrum in mundum indicat. S. verò Lucas eandem nostri Salvatoris generationem scribens, vtitur hac voce. *Fuit. Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*, quæ vox demonstrat id quod fuit, & iam nõ est. Spiritus Diuinus in hoc duplici modo scribendi, quo vtuntur Evangelistæ, nobis ostendit quoddam ille, qui ex materno vtero in hanc lucem prodit, vt eã potiatur & viuat, tam concitato cursu ad mortem, quasi per postam properat, vt vix vitã ingressus, statim evanescat. In libro sapientie cap. 5. quidam introducuntur, qui de breuitate vitæ agentes, eam velocioribus rebus, & quæ citius avolat, cõpararunt. *Sicut nuncius præcurrens*. Nuncio Dominum præcurrenti comparavit vnus, ille enim qui præcurrit, velocius subsequente viam cõficit. Alius avibus per æra volitantibus, quæ tam celeri volatu transvolant, vt vix eas visu

insequi possimus, comparavit. *Aut tanquã avis quæ transvolat in aere, Sagittæ etiam, quæ in locum destinatũ mittitur, comparavit ibidem, Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum*. In alia versione sic legitur. *Aut tanquam sagitta emissa in scopum*. Post prædictas comparationes imediatè sequitur. *Sic & nos nati continuo desinimus esse*. Id est, statim atque orimur ad non esse festinamus. Et hoc apertè significant illæ vocũ mutationes, quæ in Genealogiæ Christi enarratione ab Evangelistis vsurpantur. Matthæus dicit. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*. Lucas verò sic generationem enumerat. *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi. 3. cap.* Vt denotaret Spiritus diuinus, vitæ nostræ exordium cum non esse maximam coniunctionem & affinitatè habere. *Sic & nos nati continuo desinimus esse*. Multa de hac materia acutè & ingeniosè tam à fidelibus, quàm à philosophis gentilibus prolata sunt, solum tria Doctorum Ecclesiæ dicta in presenti referam, quæ sapientiæ comparationib. rectè congruunt. S. Augustinus lib. 13. de civitate Dei cap. 9. sic dicit. *Quid est huius vita spiritus, nisi cursus ad mortem?* Alius vitã nostrã postæ comparavit. Sed Sanct. August. plùs addit, *cursus ad mortem*. Ac si diceret, vitã nostram in mortem, ad nos concitato cursu properantè, currere. Pro cuius ponderatiõne notanda est visio Evangelistæ Ioan. Apocalyp. cap. 6.

Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors. Conspexit enim sanctus Evangelista equum pallidum, cui mors inlidebat, vt citius ad nos appropinquaret. Si ergo per postam ad mortem properamus, & ipsa currens ad nos adventat, breui temporis spatio in eam incidemus. Si aliquis per postam Petrum Romæ commorantem quæreret, & Petrus equitâs in occursum procederet, breuius eum inueniret: Sic inquit sanctus Augustinus, vita nostra ad mortem, ad nos veloci cursu properantem, tendit. *Cursus ad mortem.* Ideo nihil aliud frequentius, quàm multorum necem & repentinam mortem auribus accipimus. Sanctus Gregorius Nazianzenus de vitæ nostræ breuitate loquens, hæc verba protulit, quæ semper nostris mentibus affixa esse deberent. *Ipsum est quod viuo velut rapidissimus amnis, qui sursum exoriens, semper ad ima fluit.* Videtur sanè sanctum doctorem auem celeri volatu cursitantem considerasse, quam vix præ agilitate externis oculis intueri possumus, avis tamen aliquando sistit vt quietescat, amnis tamen in summitate montis exoriens, continuo motu semper ad ima fluit: ideò vitam nostram semper sine quiete ad mortem properantem, rapidissimo flumini, ex montis cacumine ad ima properanti, comparat. Sanctus Hieronymus alia verba profert, quæ videntur ex

Seneca de prompta, Epist. 59. *Quotidie morimur, quotidie commutamur. Et tamen aternos nos esse putamus.* Absque dubio Hieronymus eum in memoria tenuit, qui vitam nostram sagittæ in scopum proiectæ comparauit, nullus tamen in emittendo sagittam ita versatus est, vt non aliquando à scopo aberret, mors tamen, inquit Hieronymus, quæ arcu & sagittâ vititur, tam dexterè sagittam proicit, vt nunquam à scopo, qui est vita nostra, erret, vnde oritur, vt homines quotidie moriantur. *Quotidie morimur.* Moritur iuuenis, moriuntur pulcherrimæ faminæ, Princeps repente vitam cum morte comutat, dignitates pereunt. *Quotidie morimur, quotidie commutamur,* nigri crines in albos commutantur, dentes, qui antea firmi & fixi erant, paulò post commouentur, visus, antea acutus deficit, & vix propinquiora perspicit, & qui à longè prospiciebat, modò nihil videt. Quæ cum ita sint, ita insipientes sumus, vt nos esse aternos existimemus. *Et tamen nos esse aternos putamus.* Quàm ex professo dignitates ambimus, & omni diligentia & sollicitudine exquirimus! Aliqui commendatoriis litteris & pecuniis onusti, in Imperatorum & Regum curias discedunt, vt officium stabile adipiscantur. Magna planè & intolerabilis dementia; qui per postam ad mortem currit, & sicut

amnis

amnis, qui in cacumine montis exorietis semper ad ima fluit, rem firmam expectat, & totis viribus assequi conatur? *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.* Sanctus Matthæus in hac genealogia à Christo tanquam à supremo capite incipit, & usque ad Ioseph virum Mariæ descendit, in ipsa etenim enarratione feminas enumerat: At Sanctus Lucas eandem Christi genealogiam describens, in verso ordine procedit, à Ioseph enim exordians; *Qui fuit Ioseph, qui fuit Heli,* suam historiam ad Deum usque continuat; *Qui fuit Dei,* nec feminam aliquam in Evangelio usurpat. Quod, quæso, mysterium Evangelistæ hac diuersa enumeratione indicârunt? Mysterium est, quia Sanctus Matthæus inensam beneficiû manifestat, quod Deus per Incarnationem hominibus exhibuit, nostram naturam assumens, & cum tantum mysterium sine feminis perfici nequiuert cum Verbum Diuinum ex aliqua earum carnem assumere debuerit, idèd Evangelista Matthæus feminas enumerauit: At S. Lucas in suo Exangelio explicuit id, quod ex vnione Verbi ad nostram naturam hominibus resultauit, nempe vt homo ineffabili modo Deus fieret, & quia vt homo per gratiâ fiat Deus, non sint necessariæ feminæ, potiùs enim hanc diuinam transformationem impediunt, idèd feminas præterit ac suppressit, At cuius com-

probatiõem notandum est id, quod ait Spiritus Sanctus Eccles. 19. cap. *Mulieres apostatate faciunt sapientes:* Ita vnionem hanc diuinam per gratiam impediunt, vt efficiant, quod sapientes Deum amittant. *Apostatate faciunt sapientes,* si stultos apostatate facerent, & etiam sapientes huius sæculi, qui apud Deum stulti reputantur; *sapientia huius mundi, est stultitia apud Deum.* 1. Corinth. 3. cap. non mirandam esset, sed quidd sapientes etiã, qui apud Deum sapientes existimantur & apud Deum, rerum diuinarum peritia valent, decipiant, & deludant ac apostatate faciant, hoc sanè admiratione dignissimum est. Prætereo tamen ista, nec latius prosequar, tum, quia est apertissima veritas, ab initio mundi longâ experienciâ confirmata, tum etiam propter Beatiss. Virginem, quâ hodiernum Evangelium clauditur, *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Aliqui erga Mariam sanctissimam singulari deuotione affecti, pias querelas de Matthæo formant, quia ommissis aliis quæ meritò de ipsa proferri possent, sic collectim & breuiter tantum dixerit. *De qua natus est Iesus, &c.* Sed iam in superioribus latè ostendimus, hic Evangelistam summo ingenio expressisse quidquid de Maria sacratissimâ exprimi & efferri potuit, cum omnia infinitæ matris Dei dignitati, quæ in Matthæo

ver-

verbis insinuatur, nitantur. Ipsa ergo quæ vera Dei & misericordiæ Mater extitit, nostrâ sacratissimi Rosarii cõfraternitatem instituit, quæ nostro sanctissimo Patri Dominico conspicuè apparens, ei præcepit, vt hanc sacratissimam sodalitatem iam penè extinctam, vbique repararet, ac de nouo institueret. Et sic cõfraternitas Equitum aurei Velleris à Philippo Burgudiæ duce instituta, tam celebris est, vt nullus sit, etiam si imperatoriâ, regali aut ducali dignitate præfulgeat, qui ei inscribi se non procuret, ac ex collo pendens vellus aureum non deferat. Quid de nostra fraternitate dicam, cuius fundator non Philippus Burgundiæ Dux aut Imperator, vel Rex aliquis terrenus, sed ipsa Angelorum Regina, & Dei Mater fundatrix extitit? Digna planè est, vt omnium fidelium cordibus imprimatur, ita vt nullus existat, qui huic sacratissimæ sodalitati se coaptari nõ procureret. Omnes Rosarium manibus gestemus, & sanctis considerationibus evoluamus, est enim mediũ efficacissimum ad remissionem peccatorum, & gratiam in hoc sæculo obtinendam & in alio gloriam, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus

Amen.

* *
*



Sermo secundus

PRO SALVTATIONE *Angelica.*

NOtandum est ille locus Isaia, quem rectè perpendit doctissimus Arias Montanus. *Reueratur ad Dominum & miserebitur eius, & ad Deum nostrũ: quoniam multus est ad ignoscendum.* 55. cap. Vbi in alia versione sic legitur. *Oret ad Dominum & miserebitur ei.* Ac si apertius diceret, qui voluerit, vt Deus sui misereatur, & patris sceleribus ignoscat, ferventes orationes amore diuino inflammatas offerat, Rosarium recitet, in quo diuinis considerationibus ad superiora assurgens, Deum propter peccata iratum in misericordiæ patrem conuertat, & *miserebitur eius: quoniam multus est ad ignoscendum.* Xante Pagninus hæc verba mysteriosè vertit. *Quia multiplicat, vt parcat: Quasi diceret, qui Deum vt misericordiæ patrem sibi comparare voluerit, licet aliàs rigidam & austeram iudicis personam contra nos agat, oret ad Dominum, quia mul-*

ripli-